

Q.N. 351, 25.

II f
788

J. J.
DISPUTATIO ACADEMICA
DE
**SUBJECTO VIR-
TUTIS MORALIS,**

Quam
In Illustri Academiâ Witten-
bergenfi

SUB PRÆSIDIO
M. JOHANN-CASP.
Brendel/

Guthmansh. Thuring.
Ventilationî publicæ submittet

AUTOR
CHRISTIANUS Körner/

Schmideberg.Siles.

Ad diem 1. Sept. Anno M DC LXXXI.
H. L. Q. C.



WITTENBERGÆ,
Literis JOHANNIS WILCKII.

121.

VIRIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS ac PRUDENTISSIMIS

DNN.

CONSULIBUS
PRÆTORIBUS
SCABINIS

coeterisq;

SENATORIBUS
Inclytæ Reipublicæ Zittaviensium
gravisimis,


DNN. PATRONIS, FAUTORIBUS ac studiorum
meorum Promotoribus ætatem colendis
devenerandis



Disertationem hanc Philosophicam in
grati animi ac debitæ observantiæ Symbolum ulte-
riorisq; benivolentiæ incitamentum

devotâ mente offert
CHRISTIAN: Körner/
A. & R.





Præloquium.



Xtremæ dementiæ esse, in tantâ temporis egestate supervacanea summo cum labore addiscere; utilia verò & magis necessaria negligere ac ignorare, scitè & eleganter inquit *Seneca Epist. 48.* Sipientis ergò est, in tam pretiosi temporis penuriâ, utilitate suas metiri lucubrationes. Et mihi primum ad scribendam hanc Dissertationem animum appellenti è revisum est, de Themate meis studiis utili deliberare atque statuere. Circumspicienti verò vastissimum studii Philosophici campum varia sese offerebant, quæ me rapere in sui amorem poterant. Nam & Theoretica Divinitate suâ, Practica verò utilitate sese commendabant. Vicit ad ultimum animum Philosophiæ practicæ dignitas fini meo, cum Juris Civilis scientiam capesere animus sit, apprimè conveniens, cui etiam maturo aliorum iudicio, non immeritò principatus defertur. Id quod non obscure *Tullius i. Officior.* innuit, eam ad eò necessariam esse iudicans, ut nulla vitæ pars, neq; publicis, neq; privatis, neque forensibus, neq; domesticis in rebus, neq; si tecum agas quid, neq; si cum altero contrahas, vacare eadem possit. Has itaq; ob causas *de Subjecto Virtutis Moralæ*, parte Philosophiæ Civilis non postremâ pro ingenii mei viribus differere animum induxi. Et quamvis non diffitear, me humeris meis satis arduum imposuisse onus, stat nihilominus firmiter animo coeptum propositum, cum in

magnis & arduis etiam voluisse satis habeatur. Ab æquiore interim Lectore, si non omnia acu, quod ajunt, tetigero, ob materiæ difficultatem mihi veniam datum iri, certissime polliceor. Cum verò nihil felici gaudeat progressu nisi in partes vocato divini Numinis auxilio, Deum T. O. M. supplex oro & obtestor, quò conatui addere pondus, atq; incepta fortunare haut dedignetur.

§. I.

Subjectum virtutis Moralis indagaturi aliquot lineolas de Notionibus extendere juvabit; siquidem sub nominibus, velut in cinere ignis sopitus, delitescit non rarò ipsa rei cognitio. Notiones verò seu termini præsentem circa materiã occurrentes ejusq; cognitioni inservientes sunt: *Subjectum, Virtus Moralis & Voluntas*. De singulis, cum ipsam tractationem reddant magis perspicuam, quædam sunt præmonenda.

§. 2. Primo loco se offert Subjecti Notio, sic dicta à subjiciendo quod alteri in existendo subjiciatur ac fundamenti vice substernatur. Neq; verò uno hoc accipi modo, quæquam præterit: Hic tamen non consideramus subjectum *prædicationis*, quod in prædicando subjicitur, hoc enim potest esse ipsa Virtus Moralis, dum de eã prædicatur v. gr. quod sit habitus; Neq; *Tractationis*, quod interdum idem est ac objectum, circa quod disciplina seu habitus aliquis versatur; sed *inhætionis*, cui Virtus in existendo inhæret: Neq; *impræsentiarum* loquimur de subjecto inhætionis, ut Quod: hoc enim hominem esse quivis facile admittet, cum ei virtutis habitus introducatur & ab illo actiones virtuosæ proveniant. Uti namq; de aliã quavis, ita etiam de virtutis actione verum est, eam esse suppositi. Sed de subjecto inhætionis ut Quo, non mediato (hoc enim animam esse nemo inficiabitur, cum illa fit, à quã virtute prædita totus homo denominatur virtuosus, & à quã solã virtus diffunditur in locomotivam facultatem, & partes organicas), sed immediato & radicali, in quo radicaliter & immediatè virtus Moralis subjicitur.

§. 3. Cognitã aliquo modo Subjecti notione, quid nomine virtutis Moralis veniat, est disquirendum: quod vocabulum cum
apud

a pud Aristotelem, tum etiam alios Scriptores profanos, in varia occurrere significatione, plusquam notissimum est. Usurpatur enim quandoque pro potentia naturali & cujuslibet rei perfectione, per quam ipsa se habet optimè, & munere suo rectissime fungitur, hoc est pro congruente rerum dispositione, per quam aptæ sunt ad rectè fungendum officio suo, Ita virtus oculi est benè cernere & virtus equi, aptum esse ad cursum & sessorum suum commodè portandum, quæ significatio valdè est impropria. Non rarò quoque sumitur pro perfectione intellectus & voluntatis, quo sensu comprehendit tam intellectuales quam morales virtutes, qui significatus instituto nostro est latior. Non enim virtutis intellectualis subjectum, quod intellectum esse largimur, sed moralis inquirimus. Demum accipitur pro virtute morali à moribus sic dicta, quod pulcherrimis hominem ornet & decoret morum flosculis, vel à more, quod in consuetudinem sit versa per crebrum exercitium, quia crebro agendo ea, quæ inter homines agi usitatum est, evadimus virtuosus *Arist. 2. Ethic. 1.* Quo in significato modo citatus Philosophus dicti *Libri cap. 6.* definit virtutem, quod sit habitus electivus in mediocritate quantum ad nos & à recta ratione præfinita, sive ut vir prudens eam præfiniret, consistens: quam definitionem, ut uberius explicemus ab Instituto nostro alienum putamus, cum non tam de virtute morali, quam ejus subjecto differere animum induxerimus.

§. 4. Naturam Subjecti nec non Virtutis moralis postquam rudi saltem Minerva tradidimus paucis quoque rimanda venit voluntatis notio. Hac enim neglecta sciri nequit, an illa virtutis moralis subjectum dici mereatur, nisi cæcus de colore judicare velit. Sumitur autem voluntas variè, & quidem (1) pro objecto, hoc est re volita, sive eo, quod volumus; Sic v. gr. Principis voluntas est, ut & adulter & adultera pœnâ afficiantur capitali, ubi pœna capitalis est res volita Principis, & tamen dicitur ejus esse voluntas, sed hæc significatio est minus propria, (2) pro actu ejus, ut si dico: Pater est bona voluntate erga suum filium, id est diligit ac amore eum prosequitur, quod loquendi genus, ut diximus, non tam voluntatem, quam ejus actionem declarat. (3) denique accipitur pro
animæ

animæ rationalis facultate, sive volendi potentiâ, quæ acceptio in se est propria, & uti Philosophis valdè frequens, ita instituto nostro admodum conveniens, cum Virtus moralis sit perfectio alicujus potentiæ, adeoq; in aliquâ potentia hæere radicaliter debeat & subjectari. Est autem Voluntas in ultimo hoc significato animæ rationalis facultas, quâ bonum ab intellectu cognitum homo appetit & malum averfatur, vid. *Magir. L. 6. Physic: cap: 20. p. m. 753.* An verò Voluntas juxta Thomam realiter distingvatur ab anima & intellectu, an juxta Scotum ratione tantum, utrum libuerit, nobis perindè est, cum hoc ad præsens negotium nihil vel parum facere videatur.

§. 5. Hanc voluntatem, cujus modo definitionem proposuimus gaudere libertate, non tantum à coactione, quæ & brutis competit, sed etiam à necessitate, quæ in eo consistit, ut positus ad agendum requisitis possit agere & non agere, imò & contrarium agere, ex communi Philosophorum doctrinâ hac vice supponimus. Neq; hoc salva negari potest experientia, cum quivis secum percipere valeat, se posse, pro ut libuerit, cæteris nempe paribus, sedere v. gr: vel non sedere, imò & ambulare, & monente Scoto hoc qui in dubium vocat, non rationibus, sed fustibus percutiendus est, tamq; diu excipiendus verberibus, donec ingenuè fatebitur, in percutientis potestate esse & libero arbitrio, illum non amplius pulsare. Quod si querelam de injuriâ sibi illata institueret responsi loco ipsi dandum: quid de percutiente conquereris? tu ipse namq; dicis, non esse in pulsantis potestate & arbitrio, à percutiendo desinere. Et quamvis Voluntas, in ordine ad bonum ut sic non sit libera quoad actum secundum, cum in illud feratur necessario; Nec idem esse possit liberum actu secundo & necessarium simul vi contradictionis, tamen libertatem suam in se retinet, & manet semper actu primo libera non obstante, quod actu secundo sit necessaria, cum non pugnent inter se esse necessarium actu secundo, & liberum actu primo. Intellectum autè non esse formaliter liberum, vel indè patescit, quia est agens naturale & positus ad agendum requisitis, non potest actum suspendere, sed necessario agit. Confer. *Hornej. Doctr. Moral. L. 2. cap. 5.* Appetitum sensitivum quod attinet, supponimus itidem ex communi Philo-

Philosophorum consensu, eum esse facultatem non ex se & sua naturâ, sed per participationem tantum liberam, particeps namq; fit libertatis, quæ formaliter inest voluntati, non secus ac cæcus quatenus visu pollentem sequitur, particeps fit visus. Hoc etiam ab absurdo probatur, si enim appetitus sensitivus in se & sua naturâ liber esset, sequeretur bruta quoq; gaudere libertate, quia facultas, sentiendi & in illis deprehenditur, quod tamen non leve absurdum.

§. 6. Cum verò ad potentiam formaliter sive essentialiter liberam non sufficiat indifferentia ad exercitium & actus specificationem sed requiratur præterea vis intrinsecè ipsi competens, quâ mediante suam indifferentiam ad alterutram valeat determinare partem, alias enim semper indifferens maneret, nec actum posset elicere & producere, dicendum omninò erit, talismodi vi intrinsecâ & voluntatem gaudere, quia illimitatam suam indifferentiam ad alteram determinare possit partem, & vult quia vult: quæ voluntatis determinatio non est aliquid ei superadditum, quo cum libertas voluntatis coexistere non posset, sed est ipsa voluntatis actualis volitio, quâ posita sufficienter voluntati auferitur indifferentia. Ex quibus colligi facili ratione potest, voluntatem à generali Dei concursu non determinari, quia hic non antevertit motum voluntatis, sed cum eo simul supponitur; nam voluntas movetur, non quia Deus eam primò movet; sed quia voluntas semet ipsam movet, Deus suo concursu ei non vult deesse, cum sine hoc moveri nequeat. Nec determinatur ab objecto nisi quoad specificationem, non tamen quoad exercitium, quia posito objecto adhuc est indifferens, ut illud appetere vel averfari possit si velit. Multo minus ab intellectu determinatur: ut ut enim voluntas, cum sit cæca & inepta ad apprehendendum objectum, sine prævia bonitatis perceptione nihil appetere, neq; quicquam non prælucente intellectu averfari valeat; illud tamen præluere voluntatem movere ad ipsum objectum, id est quod negamus & pernegamus. Hoc ut uberius illustretur duplicem constituemus determinationem; una contradictionis seu quoad exercitium, altera contrarietatis, seu quoad speciem vocatur. Nunc ita concludimus: Si Intellectus deter-

terminat voluntatem, aut eam determinabit quoad exercitium,
aut quoad actus speciem. Ast neutrum dici potest. E. Non pri-
us, quoniam Intellectus objectum dum ostendit, non statim po-
nitur voluntatis actus, sed adhuc indifferenter se habet ad illud
amplectendum, & non amplectendum, vel averfandum.
Nec posterius, quia, quando Intellectus objectum aliquod appe-
tendum, vel averfandum proponit, voluntas, (quod notoria
edocet experientia,) non statim præceptum ejus sequitur, sed
potius contrarium agit, juxta illud Medæ, ap: Ovid. Lib: 7.
Metamorph:

*- - - video meliora proboq;
deteriora sequor. - - -*

Unde invictum manet, voluntatem non ab extrinseco quopiam,
sed à semet ipsa determinari, proindeq; liberam esse formaliter,
quod positus ad agendum requisitis possit agere & non agere,
imò contrarium agere. Et hæc esto brevis notionum seu ter-
minorum circa præsens negotium occurrentium explicatio,
quæ inqvirentibus primarium virtutis moralis subjectum faciem
præferre poterit.

§. 7. Ex his, quæ hæctenus juxta communem Philosopho-
rum doctrinam tradidimus, voluntatem nempe solam esse, cui
libertas essentialiter ac formaliter inest, infallibiliter sequitur,
virtutem moralem quatenus illa libera esse debet, sive habituali-
ter sive actualiter voluntatem perficiat, radicaliter & inhæsi-
ve subjectari in voluntate: cum actus intellectus & appetitus sen-
sitivi ut tales liberi non sint, nisi vel à voluntate imperentur, vel
producti ab eadem approbentur: Priores rationem liberi & vo-
luntarii habent per imperium, posteriores per consensum.
Quod verò morale est, id præsupponit quoq; libertatem, cum
moralitas sit, à quâ denominamur vel laude vel vituperio digni,
id quod omninò aliquam agendi libertatem involvit *Arist: 3.
Ethic: 1.* Ob ea enim, quæ casu naturaliter, coactè & ignoran-
ter perpetramus, neq; laudem meremur, neq; vituperium; quare
si quis propter inopiam à nimio cibo sese abstineat, aut potu
proprie temperans non est: Nec si quis coactè ceno proximo
num-

nu mos porrigendo succurrit, liberalis dici meretur. Eapropter spontanea ab invitis maximopere secernenda; siquidē nō raro evenit, ut aliquis alterū, quem tamen alias omni observantiā colit, ignorans vel re aut verbis lædat, convitiisq; prosciadat aliudve ei damnum inferat; vel etiam ob vim aut metū aliquid admittat, quod extra ea si esset constitutus nunquam ageret: in quibus omnibus animum agentis judicans cognitum perspectumq; habere debet, cum alias judicando facilē se turpiter dare possit; Sed hisce, cum non videantur præsentis Instituti, immorari nolumus, properantes potius ad rationes, quibus voluntatem esse subjectum virtutis moralis primarium ac inhaesionis evincere conabimur.

§. 8. Ratio prima huc redit: Cui competit libertas formaliter & electio, in illo virtus moralis, quantum ad rationem liberi radicaliter subjectatur. Atqui voluntati competit libertas & electio. E. Major. prob. quia in omni virtute morali esse ratio liberi debet, id quod ipsa virtutis definitio, cum sit habitus electivus &c. sufficienter probat: Et, ut supra dictum, nihil morale appellari potest nisi sit liberum, h. e. nisi proveniat ab agente libero, nullā vi cogente, aut errore, aut quarundam circumstantiarum ignorantia laborante. Minor quoad utrumq; membrum communi Philosophorum consensu radiat, nec indiget luce mearum probationum. Voluntas enim, prius quod attinet, non potest esse sine libertate, quia libertas est de essentia ejus, essentia autem ab eo, cujus est essentia, esse nequit; unde si libertas voluntati eripiatur, simul quoq; ejus essentia intreat, necesse est, tradente ita *Magiro in Physiolog. libr. 6. c. 20. p. m. 758.* Sed de his supra pluribus actum. Electionem voluntati competere, nemo quoq; negabit, tum quod eligere h. e. ex pluribus ab intellectu propositis & oblatis unum eligere, sit proprium voluntatis: tum quod electio sit nihil aliud, quam actus elicited, qui a voluntate provenit, & in eā iterum recipitur, sicq; extra eam esse nequit & uti Intellectus officium est cognoscere & judicare; ita voluntatis munus in appetendo & eligendo consistit. Addatur *Dürrius in Problemat. Moral. p. m. 61.*

§. 9. Ratio secunda: Q. pro objecto habet bonum morale,

B

rale,

rale, illud est virtutis moralis subjectum primum. Atqui voluntas habet pro objecto bonum morale E. Maj. prob. Quia, quemadmodum virtutes intellectuales subjectantur in eâ facultate, cujus objectum est verum, ita quoque virtus moralis primum in ea subjectabitur facultate, cujus objectum est bonum morale. Confirm: Quia virtuti, docente *Aristot. 2. Eud. 1.* tanquam optimo ac præstantissimo habitui, merito quoque sedes præstantior ac principalior assignari debet: Jam verò voluntas longè præstantior ac nobilior est appetitu sensitivo, cum ordinante natura moveat appetitum sensitivum. Movens autem in quantum movens præstantius & nobilius est moto. Accedit, quod voluntas sit animæ rationalis facultas & homini propria; appetitus verò sensitivus cum brutis homini communis. Ex quibus patescit, voluntatem appetitu sensitivo præstantiorem esse, adeoque sedem virtutum moralium primariam.

§. 10. Ratio tertia: Omnis actio libera secundum iudicium intellectus practicum producta radicaliter subjectatur involuntate. Atqui virtus, in actu secundo si accipiatur, est actio libera secundum iudicium intellectus practicum producta. E. Major prob: quia solius voluntatis est agere libere secundum iudicium intellectus practicum, adeoque in illâ solâ radicaliter & primario subjectari debet. Min: præterquam quod ab omnibus concedatur ac pro evidenti habeatur, quantum scio, probari potest ex *Arist. qui 2. Ethic. 6. dicit: Virtutem mediocritatem esse ratione præfinitam.* Cum ergò appetitus sensitivus nec liberè agat, nec iudicio intellectus practici reguletur, sed merâ cognitione sensuali (quo de *vid. Schol. in Regul. Philosoph. part. 1. Disput: 10. reg: §. 8.*) virtutis tanquam actionis liberæ iudicio intellectus practici regulatæ subjectum radicale & primum esse minimè potest: Alias quoque nulla assignari posset causa, cur non etiam in bruta & vitia & virtutes morales cadere possent, quorum tamen utrumque perquam absurdum.

§. 11. Addo rationem quartam: ubicunque subjectatur habitus dispositio, ibi etiam habitus ipse per crebras dispositiones acquisitus. Atqui in voluntate subjectatur dispositio virtutis, E. Major vera est, dispositio enim est medium ad acquirendum habitum

habitum & primum quasi elementum. Minor probari potest omnium virtutum inductione. Sic pauperi proximo succurre- re, est actus per quem producitur dispositio ad habitum virtutis, liberalitatis nempe, quæ dispositio nullibi est, nisi in volunta- te, item si quis elargitur rectæ rationi convenienter opes gran- des, est actus, quo mediante acquiritur dispositio ad habitum virtutis magnificentiæ, quæ dispositio nullibi reperitur nisi in voluntate, idq; pro cedit inductione per omnes virtutes. Non enim appetitus sensitivus media hæc ad comparandos virtu- tum habitus apprehendit, nec actus hosce: dare elemosynam, erogare opes grandes exercet, (cum non de mediis cogitet, sed cæco quasi impetu in objectum feratur) sed voluntas prælucen- te intellectu actus illos producit, & quoties hoc fit, toties etiam acquirit dispositionem, ut semper reddatur promptior ad eosdem exercendos, donec tandem acquirat habitum: cer- tus verò numerus & quot ad eum parandum requirantur, pro variâ hominum indole ac naturâ in genere determinari vix pot- est vid. Meyer. in *Analys. ad cap. 3. Libr. 2. Ethic. Arist.* cum itaq; voluntas sit dispositionis ad habitum subjectum, verum quoq; manet eam & ipsius habitus subjectum esse.

§, 12. Hisce rationibus nisi certus essem, rem esse satis probatam, facile subicere possem quintam: Omnis perfectio debet esse in eo, cuius est perfectio. At virtus moralis est perfe- ctio voluntatis E. Major videtur manifesta. Minor prob. quia naturaliter experimur, voluntatem nostram ad malum pronam esse, quod cognita ab intellectu meliora deserat, sequatur dete- riora; unde querenda ipsi est perfectio, quæ nõ alia, quam virtus moralis, eam ad bonum promptè & facile appetendum dispo- nens & perficiens. Utut vero hæc ratio validè haud probet, vo- luntatem esse virtutis moralis subjectum primum, cum per- fectione æquè indigeat appetitus sensitivus, atq; voluntas; At- tamen hoc negari nequit, cum voluntas sit principior facultas appetitu sensitivo, à voluntate enim perfectio in appetitum sensitivum, qui illi subordinatus esse debet diffunditur, adeoq; omnis perfectio moralis appetitus sensitivi præsupponit per-
fectio-

fectionem voluntatis, cum nihil habere possit perfectionis, nisi dependenter a voluntate, a qua in genere morum perficitur.

§. 13. Huc usque argumentis, mea quidem opinione, satis firmis sententiam nostram corroboravi. Nunc paucis quoque perlustranda veniunt, quae huic sententiae adversari videntur: Quae, cum multa ac varia sint, eorum potiora saltem adducam, visurus, quid pro ingenii modulo ad ea possum reponere.

§. 14. Obj. Raymund: Mailbat in Ethic. part. 3. Sect. 7. Fortitudinem & temperantiam non residere in voluntate, sed in appetitu sensitivo; fortitudinem in irascibili, temperantiam in concupiscibili. Probatur primo: Ibi ponenda est virtus, ubi reperitur difficultas per talem virtutem superanda. At qui difficultas vincenda per fortitudinem & temperantiam, non est in voluntate, sed in appetitu sensitivo. E. Major est evidens. Ad hoc enim facultas aliqua indiget habitu virtutis, ut superet difficultatem, quam habet ad operandum circa aliquod objectum; Minor autem suadetur in primis quo ad primam partem, sic voluntas non habet difficultatem, nec subinde indiget habitu inclinante ad id, ad quod suapte natura est propensa. At qui suapte natura propensa est ad bonum fortitudinis & temperantiae. E. prob: Min: Ideo enim suapte natura non inclinatur ad bonum Justitiae, quia illud est bonum alienum, & alteri reddendum, non vero bonum proprii suppositi. At qui bonum fortitudinis & temperantiae, nempe passiones ad moderationem redacta est proprium bonum suppositi: ergo naturaliter inclinatur ad illud: bonum enim naturaliter est amabile, & unicuique proprium. Quantum vero ad secundam partem evidens est minor illa: Appetitus enim sensitivus propria inclinatione fertur in bonum sensibile & delectabile, maximamque experitur difficultatem in passionibus, quibus in illud fertur, moderandis.

Verum R. ad principal. neg. ad prob: neg: Minor. Omnino in voluntate per temperantiam & fortitudinem superanda reperitur difficultas, non obstante, quod natura sua inclinatur ad virtutem seu bonum, cum exinde, habitu eam non indigere, colligi vix possit. Habitus enim inservit ei, ut eo promptius bonum prosequatur, malum vero fugiat. Sic v. gr. Intellectus licet non raro per potentiam suam naturalem recte ratio-

tiocinetur & unum ex altero colligat, nihilominus habitum lo-
 gicum admittit, quo expeditius & facilius antea quidem rectè, sed
 tamen difficulter præstita, efficiat. Ad prob. in quâ dicitur, *volunta-*
tem ideo non inclinare ad Justitiam, quia est bonum alienum, & alteri
reddendum. R. neg. Voluntas enim nostra inclinatur, & propensa est
 ad omnes virtutes E. etiâ ad justitiâ. Nec quicquâ evincit adducta
 diversitatis ratio sc: *temperantiam & fortitudinem esse bonum*
proprium suppositi, justitiam esse bonum alienum, R. enim ne-
 gando posterius. Omnes namq; virtutes sunt perfectio homi-
 nis, & perficiunt ipsius facultates: Sic virtutes intellectuales in-
 tellectum; morales vero voluntatem & certo sensu appetitum
 sensitivum. Nec hoc negari potest de justitiâ, licet eo ipso, quo
 homo justitiam erga proximum exercet, non sit bonum proprii
 suppositi, sed alieni, quia tamen habitus justitiæ voluntatem quo-
 que promptiorem ad eam excolendam reddit, proindeque
 perficit, rectè dicitur, bonum proprii suppositi. Ita etiam li-
 beralitas in aliud exercetur suppositum, & tamen est perfectio e-
 jus à quo exercetur; Omnis itaq; virtus perfectivè & inhæsi-
 vè est bonum suppositi proprium ac domesticum, licet exerceatur circa
 aliquod externum, ac in illius simul bonum cedat. Huc facit,
 quod quis exercere possit justitiam circa suum corpus, ejusque
 membra, quo de videri potest *Excellentiss. & Consultissimus Dn D.*
Simon in Dissert. quam de Justitiâ hominis circa sua membra in-
scribit. Alterius partis probationem, quod concernit, dicimus:
 Verum quidem esse, appetitum sensitivum in passionibus mode-
 randis, quibus in bonum appetibile seu delectabile fertur, maxi-
 mam experiri difficultatem, & ob id etiam opus habere virtute
 morali, cujus mediante voluntate particeps fit, interim tamen
 hoc ipso sufficienter haud probatur, subjectari virtutem mora-
 lem primario in appetitu sensitivo, ita enim ad voluntatem per-
 tinere supra ostendimus. Diffunditur enim habitus virtutis à vo-
 luntate in appetitum sensitivum, eiq; communicatur, & sic quo-
 que mediante voluntate virtuosus denominatur, unde subjectum
 virtutis secundarium, non verò primarium & radicale appellari
 potest.

§. 15. Obj. 2. Idem p. m. 270. Quia proprii actus fortitudinis & temperantiae sunt actus appetitus sensitivi, & in illo resident huiusmodi habitus. Consequentia est evidens: habitus enim ponitur in potentia, ut eo mediante facile & promptè eliciat actus, in quo difficultatem patiebatur: Ergò in eà facultate residet habitus, à quâ procedit actus ejus. Antecedens verò probatur; cum enim fortitudo habeat moderari timorem & audaciam, temperantia amorem & delectationem, actus harum virtutum non sunt alii, quam huiusmodi passiones conformiter ad rationis dictamen moderata. At qui passiones sunt actus appetitus sensitivi. Timor quidem & audacia appetitus irascibilis: amor & delectatio aut dolor appetitus concupiscibilis. Responsio ex supra dictis colligi facili ratione potest. Omnis namq; virtus præsupponit libertatem & rectam rationem, nec dari potest actus virtuosus, qui non liber & rectæ rationi conveniens sit. Concedimus itaq; ultrò, actus temperantiæ & fortitudinis esse appetitus sensitivi proprios suo modo; Indè tamen inferri nequit, eos primario & radicaliter subjectari in appetitu sensitivo, quia ut sunt actus liberi, radicaliter sunt à voluntate, communicativè & denominativè ab appetitu sensitivo, cum illa sit per essentiam libera, hic per participationem. Undè infallibiliter sequitur, actuum fortitudinis & temperantiæ, ut illi in genere morum spectantur, subjectum primum & radicale esse voluntatem; subjectum verò secundarium & denominationis esse appetitum sensitivum. Plura quæ in argumento allatò l. c. adferuntur, ea omnia possumus largiri, si quidem nobis non contrariantur.

§. 16. Obj. 3. Ad eam animæ facultatem spectant virtutes morales, ad quam pertinent supplicia & pœna vitiorum. At pœna vitiorum pertinent ad appetitum sensitivum. E. etiam virtutes morales. Maj. vid. per se clara, cum alioquin peccaret mens, puniretur sensus, recederet mens à scopo, & coërceretur sensus. Min. prob: quia dolor indè surgit, qui est appetitus sensitivi. Verùm Maj: hujus arg: omnino vacillat, si quidem nulla prægnans dari potest ratio, quare virtus moralis ad eam referenda sit animæ facultatem, quæ pœnis afficitur, hoc modo enim assignaretur parti, quod tamen
toti-

toti adscribendum venit, cum homo, & non duntaxat ejus pars, ob scelera commissa coërceri debeat. Concedimus eqvidem, appetitum sensitivum peccare, quod verò solum peccet, id est, quod negamus. Peccat enim simul cum voluntate, imò & aliis sano sensu potentiis appetitus sensitivus. Min: quod attinet, potest ipsius esse duplex sensus. (1) quod appetitus sensitivus puniendus sit tanquam causa delinquens (2) quod in illo recipiatur poena. Sensu priori omninò falsa evadit, neq; enim, ut modo diximus, solus appetitus sensitivus, sed etiam aliæ peccant facultates, quare & illæ poenâ afficiendæ sunt, & non solus appetitus sensitivus. Nec subsistere potest minor sensu posteriori, cum appetitus, quâ appetitus, nihil sentiat, sed solum appetat & aversetur, appetit jucundum, aversetur molestum. Quando vero urgebatur, *dolorem esse appetitus sensitivi*, ad illud. Resp: Verum hoc esse, quoad materiale, quatenus videlicet est potentia materialis & passionis capax, falsum tamen est, quoad formale, cum ita ipsius non sit dolorem sentire, sed appetere bonum sibi conveniens, vel averfari malum sibi disconveniens; dolor verò, de quo sermo est, in argumento non tam ad appetitum, quam potius sensum tactus pertinet.

§. 17. Obj. 4. *Si homo esset solus, hoc est, si mens ejus esset sejuncta à sensibus, non egeret virtute morali, ut eâ non egent, intelligentia à corpore soluta: Sed quia sumus juncti cum corpore, & cum appetitu sensuum, per quem ad illecebras reddimur proni, propterea a condoce fieri, domari, rectoq; habitu conformari nobis debet pars sentiens & fera, ne quasi indomitos equos nos ducat precipites.* R. Virtutes morales in duplici quoad præsens, sunt differentia: Aliæ enim possunt esse in voluntate, etiam si cum appetitu sensitivo non sint conjunctæ v. gr. Justitia, quæ verò virtutes hoc modo esse possunt in voluntate, dari in intelligentiis, nullum est dubium, nec à nobis hac vice negatur: Aliæ in voluntate ab appetitu sensitivo separatae esse nequeunt, v. gr. fortitudo temperantia &c. Non enim homo indigeret habitu temperantia, si esset absq; appetitu sensitivo. Si itaq; in adducto argumento sermo est de omnibus virtutibus scilicet hominem nulla
pror-

ax 77 788


prorsus indigere virtute morali, si mens ejus esset sejuncta ab appetitu sensitivo, tum negamus; sin autem sensus talis sit, quod non nullis saltem carere possit in statu sejunctionis, tunc utraq; quod dicitur, manu largimur. Negamus tamen inde pronam esse consequentiam, quasdam virtutes morales non pertinere ad voluntatem, tanquam ad subjectum primarium & radicale, quia omnes virtutes morales & consequenter etiam illæ, quæ esse possunt in voluntate ab appetitu sensitivo sejunctâ, requirunt rectam rationem & libertatem; voluntatem autem esse facultatem rationalem & formaliter liberam, supra uberius est ostensum. Et hæc sunt, quæ de sublimi hac materiâ pro Ingenii modulo conscribere in animum induximus, quibus si quid impoliti adhaereat, veniam dabit eò facilius benignus Lector, quo paratiores sumus ad corrigenda ea, quæ minus appositè scripta videbuntur.

DEO SIT SEMPITERNA GLORIA.



1077

7c X3033332



J. J.
O ACADEMICA
DE

1165
II f
788

TO VIR-

MORALIS,

Quam

cademiâ Witten.

rgensi

RÆSIDIO

NN-CASP.

endel/

sh. Thuring.

publicæ submittet

UTOR

ANUS Körner/

ideberg.Siles.

Anno M DC LXXXI.

.L. Q. C.



ENBERGÆ,
NNIS WILCKII.

121.

